

*Guglielmo Ruffo acquista da
Giovanni da Napoli, un mulino*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo acquista da
Giovanni da Napoli, un mulino*

1328-08-24

In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo octavo. Die vigesimo quarto mensis augusti, undecime inditionis, apud Giracium. Regnante serenissimo domino nostro Rege Roberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalquerii, ac Pedemontis comite. Regnorum suorum anno vigesimo feliciter amen.

Nos Ioannes de Thetis iudex civitatis Giracii, Nicolaus Tropeanus regius publicus notarius per totum Iustitiariatus Calabrie per Curiam ordinatus, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati. Presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod discretus magister Ioannes de Neapoli phisicus de predicta civitate Giracii non vi, non dolo, non metu, nec aliqua machinatione doli ad hoc inductus, sed sua bona, mera, gratuita, et spontanea voluntate pure libere per se, suosque heredes et successores coram nobis dedit, vendidit, et tradidit ac titulum pure, ex perfecte venditionis tradidit, et assignavit nobili et egregio viro Domino Guglielmo Ruffo de Sinopolo, ducali cambellano et familiari, ibidem presenti et pro se, suisque heredibus et successoribus ementi, recipienti in perpetuum quamdam locum suum cum molendino quod dicitur domini Riccardi Guarna, cum omnibus iuribus et pertinentiis dicti molendini que dictus venditor se habere, tenere, et possidere asseruit, situm et positum in loco dicto Giraci, flumarie Sancti Pauli de tenimento Giracii, cum hortu dicti molendini videlicet ex uno latere est terra dicti domini Guglielmi, et ex alio latere est terra Enrici de Amantea, et ex alio latere est via publica, et alii confines cum omnibus iuribus et pertinentiis ad predictum situm

dicti molendini spectantibus, ad habendum, tenendum, et possidendum, et quicquid eidem emptori et suis heredibus deinceps placuerit perpetuo faciendi, cum accessibus et egressibus ipsius terre dicti molendinis, usque ad viam publicam cum omnibus et singulis que dictum molendinum habet supra se, vel infra se, seu intra se in integrum continentur omnique iure, ratione, uso, seu requisitione vel pro ipso, aut ipso modo aliquo pertinenti, seu spectanti pro certo pretio inter eos convenuto pro unciis auri sex in carolenis argenteis et liliatis sexaginta pro unciis computatis. Quod totum predictum pretium dictus venditor, coram nobis presentialiter et manualiter recepit et habuit pro pretio et integro pagamento predicti molendinis venditi. In cuius terre dicti molendinis corporalem possessionem dictus venditor eundem emptorem per se, suosque heredes coram nobis, per fustem ut moris est, induxit, et constituit se ibidem venditor eiusdem emptoris novum, et pro eodem emptore presenti et expresse ad hoc consentienti predictum molendinum precario nomine tenere et possidere; donec dictus emptor per se, suosque heredes ipsius res vendite possessione acceperit corporalem, quam accipiendi sua auctoritate propria sine aliquam denunciatione iudices proclamatione, seu magistratus decreto, et retinendi deinceps eidem emptori suis heredibus, et successoribus, legitime stipulanti per se et alios quos voluerit licentiam omnimodum idem traditor contulit, atque dedit, promittens dictus venditor pro se, suosque heredes ipsi emptori pro se, suisque heredibus et successoribus legitime stipulanti hanc venditionem, datione, traditionem, et assignationem, et omnia singula supra et infrascriptam rata et firma perpetuo habere, tenere, observare, et adimplere contra ipsa vel ipsorum

aliqua per se, vel alios aliqua ratione, ingenio, aut causa de iure vel de facto, nullatenus veniendo, litem vel controversiam eidem emptori vel eius heredibus et successoribus de predicta revendita ullo tempore non inferre, nec inferrenti consentire sed ipsam rem venditam tam in proprietate quam in possessione ab omni homine et universitate persone publica ecclesiastica, seu privata legitime defendere auctoritate et disbrigare predictam rem venditam, et teneri de evictione si casus evictionis acciderit in iudicium, vel extra iudicium, sub poena unciarum auri viginti ponderis generalis Regie Curie persolvenda mihi predicto notario pro parte ipsios Curie stipulanti legitime poenam ipsam quam poenam dictus venditor a se, suisque heredibus si contra predictam venire contigerit, vel aliquod predictorum committi, et exigi voluit per Iustitiarium Calabrie qui pro tempore fuerit summarie, et de plano, sine libello oblatione, litis contestatione, strepito et figura iudicii, appellatione aliqua non obstante, quoties contra predicta venire contigerit vel aliquod predictorum, nec non sub poena restitutionis damnorum expensarum, et interesse litis, et extra que et quas dictus venditor, suique heredes et successores fuerint, et sustinuerint in iudicio, sive extra, et ex poena soluta, vel non semel vel plurius in totum, vel in partem predicta omniam et singula supra, et infrascriptam rata perpetuo maneant atque firma. Renuncians dictus venditor exceptioni doli, metus, in factum actioni, conditioni sine causa, privilegio fori, exceptioni, non numerate pecunie, seu non accepte, vel non habite et legi decenti per quam de coeptis ultra dimidium iusti pretii subvenitur, et generaliter omni alii iuri, legum et canonicum auxilio quibus posset contra predicta venire, vel aliquod predictorum. Certiorato prius

dicto venditore de beneficiis sibi competentibus per nos iudicem et notarium supradictos, aliosque iuris peritos que sunt et quid dicunt, et ad maiorem firmitatem omnium predictorum dictus venditor sponte et voluntarie ad Sancta Dei Evangelia iuravit predicto emptori, predicta omniam et singula supra et infrascriptam rata et firma perpetuo habere, tenere, observare, et adimplere contra ipsa vel ipsorum aliquod in iudicio, vel extra, de iure, vel de facto nullatenus veniendo. Preterea dictus venditor dedit nobis predicto iudici et testibus pro nobis, nostrisque in eisdem officiis successoribus plenam licentiam, et liberam potestatem faciendi et reficiendi presens publicum instrumentum non tantum, semel vel plurius habendo clausulam vel clausulas ad consilium unius, vel plurimum sapientum non mutata facti substantia taciturnitatis presentia vel absentia ipsius venditionis, suorumque heredum in hoc in aliquo non obstante donec presens venditio penes ipsum emptorem suosque heredes et successores plenam et perfectam obtineat roboris firmitatem.

Unde ad eiusdem rei testimonium futuram memoriam et predicti emptoris, suorumque heredum cauthelam factum est ei exinde presens publicum instrumentum scriptum, et subscriptorum per manus mei predicti notaris publici signo meo solito signato et subscriptione dicti iudicis subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum. Ipsius venditoris petitionibus et rogatu. Actum anno, die, mense, loco et inditione premissis. † Ego Ioannes de Thetis qui supra iudex civitatis Giracii testor. † Ego Fulco Luciferus testor. † Ego Nicolaus de Tarsia testor. † Ego Rubertus Luciferus testor. † Ego Thomaius de Apulia testor. † Ego

Nicolaus de Ispello testor. † Ego Pantaleo de Cantore
canonicus ecclesiae giracensis testor. † Ego Thomaius de
Sylvestro testor.